



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||

Grégoire, Pierre

[Frankfurt], 1595

VD16 G 2996

21 De officio diuinæ Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

DE OFFICIO DIVI A

NO MISSÆ.

TIT. XXI.

^a Agitur de hoc in titulo de Celebratione Missarum, lib. 3. tit. 41. & in Cle. lib. 3. tit. 24. & in Decreto Gratiani, de consecratione distinctione secunda. Nouella 58. Vt in priuatis domibus sacra mysteria non fiant.

CAPVT I.

Missæ quid.

¹ Preces cum sacrificio in cruento Sacrosancti corporis, & sanguinis Domini nostri IESU CHRISTI, in officio seu sacrificio Missæ sunt, & præcedentes & sequentes verba Sacramentalia. Missæ est nomen ab Hebraico idiomate declinatum, a verbo *mas*, obrulit, vnde & ab oblatione corporis Domini, ipsa oblatio *missæ* dicitur, eoque nomine omnia mysteria, & orationes comprehenduntur, quæ ibi peraguntur,

SCHOLIA.

^a In Deuteronomio, capit. 16. ubi Latini habent oblationem, ibi in Hebreo Missæ. Alii aliunde nomen trahunt, ut Missam dici velint, ita quod oblatio, & preces ad Deum mittantur, ut Hugo de Sacramentis, lib. secundo, parte 8. ca. fin. Alii quod Angelus a Deo mittatur qui assistat sacrificio, ut Magister Sententiarum, lib. quarto distinctione 13. S. Thomas 3. parte, quest. 83. artic. 4. Alii Missam a Missione seu dimissione populi. Accipitur autem hic pro omnibus precibus & ceremoniis, sacrificio & aliis, quæ fiunt in oblatione Sacrosancti huius ministerii. Quicquid autem de nominis origine dictum sit, id in ^Eter omnes constat, Missam accipi, pro eo sacrificio quod offertur in altari, cum precibus consuetis, & lectione Euangelii, & cum aliis de quibus postea: exstat ita titulus, de celebratione Missarum. Et arguuntur

^B Centuriatores Magdeburgensium, qui centuria 4. ca. 6. pag. 30. negant Missæ vocabulum exstare apud Ambrosium & Augustinum: nam id falsum. Quia imprimis constat preparationem Missæ esse Diui Ambrosii, & ipse Ambrosius testatur libro 5. epistola 33. ipsique Magdeburgenses agnoscunt ipsam vocem centuria 4. capt. 3. pag. 147. licet in quinta reiciant. Item in Concilio Mileuitano, omnes patres eo vocabulo vsi sunt: capit. 12. & Diuus Augustinus sermone de tempore 251. Presens & idem Augustinus Concilio Mileuitano, ut dicuntur in centuriatores centuria quinta, cap. 9. pag. 835. Sacrificium, quod Missam dicimus, esse oblationem corporis & sanguinis Domini in altari, non alias oblationes, docet ca. 3. & 4. Apostolorum D. Dionys. de Ecclesiastica Hierarch. capit. 4. quia ibi salutaris hostia offertur, ut ait Diuus Martial. in epistola ad Burdigalenses: Diuus Ignatius ad Smirneneses: vide cano. in Christo semel. 53. de consecrat. distinct. 2. ca. cum frangitur hostia, 37. eadem dist. 2. de Consecra. Explicatur autem quod dictum est, quod semel immolatus est Christus in semetipso, & tamen quotidie immolatur in Sacramento. & in c. semel, 12. & dicto cano. in Christo, de consecration. distinctione secunda. Primus, qui Sacramentum instituit, fuit Dominus noster IESUS CHRISTVS in cæna: postea apparens post Resurrectionem discipulis ad Emaus proficiscentibus, iterum communicauit, & Apostoli deinceps id ipsum fecerunt. 1. ad Corinth. 11. Adiecit quadam quæ secreto inter consecrandum dicuntur & orationes aliquas, D. Iacobus Frater dictus Domini, & D. Basilus, ut habetur in sexta Synodo, capit. 32. & refertur in ca. 47. Iacobus, de consecration. distinction. prima. Et Egesippus apud Eusebium ait, hunc primum fuisse constitutum ab Apostolis Episcopum & λειτουργόν. λειτουργός, porro dicitur solemnium sacrorum administrator

unde Missa Græcis, *in uergeria*. Et hæc Græce habetur scripta, apud Clementem Romanum libro octauo constitutio. Apostolica, ca. 15. 16. & 17. Exstat & Liturgia, Diui Matthæi Ethiopica lingua cum Latina explicatione. Item alia, Diui Chrysostomi, & aliorum. Gregorius Magnus etiam Gelasianum Codicem de Missarum solemnitatibus recognouit, & Antiphonarum & Sacramentorum librum, a se compositum edidit, & Missa solemnitatibus & orationibus quadam addidit.

CAPVT II.

De Missarum distinctione.

Missarum distinctio, quod pertinet ad Sacramentum, non est substantialis; eo quod in omnibus id ipsum Sacramentum offeratur. *a* Sed fit distinctio ratione solemnitatis adhibita. nam quædam alta uoce solemniter, conuentualiter cantantur: alia submissa uoce: *b* item alia ratione temporis habent orationes, & alia de die, de feria: alia de festiuitate, *d* quædam ex deuotione, *e* & ratione eorum pro quibus offeruntur: quædam pro uiuis, *f* quædam pro defunctis. *g* Sic habita ratione eorum, in quorum honorem dicuntur: quædam de Spiritu Sancto: aut de Sanctissima Trinitate: quædam de uirgine Maria. Est, & in diebus profestis, quædam alia in Missis distinctio; ut cum Missa ad honorem beatissimæ Virginis celebratur, non dicatur hymnus Angelicus, nec symbolum decantetur; licet in Missa propria, præfatio decantetur, idque factum, ut inter solemnitatem & commemorationem, differentia ostendatur. *k*

SCHOLIA.

- a* can. relatum est nobis, 11. de consecr. dist. 2.
b ca. cum creatura, 11. de celebrat. Missar. li. tertio titul. 41. Quomodo, & statutum tempore interdicti Ecclesiastici, Missas dici submissa uoce sine campanis: *z*anuis clausis, capit. fin. §. aduicimus, de

A Sententia excommunicationis in Sext. Ea ratione quadam dicuntur Missa peculiariter & priuata, in quibus populus non tenetur adesse: contra publice, quibus adest. ca. & hoc attendendum, de consecratione distinct. 1.

c can. sefficit sacerdoti, 53. de consecratione distinct. 1.

d Dicto cano. cum creatura, 11. de celebrat. Missa.

e ca. secundo de celebratione Missa.

f ca. de nominibus, 73. de consecratione distinctio prima. *u*a sunt pro egrotis, pro peregrinis, pro afflictis, pro amicis, & pro similibus uiuorum causis.

g capite secundo, capit. cum creatura, de celebrat. Missar. can. anima defunctorum: & can. non estimemus, 13. questione secunda. *u*ide Sotum in quarto libr. sententia. distinctio 45. questione secunda. Syluestrum, in uerbo suffragium, in summa.

C **h** capit. secundo, & ca. concilium nostrum, quarto, de celebrat. Missar. can. cum inter, 29. de uerbor. significatione.

i cap. significatum est undecimo, de Præbendis.

k Dicto canon. Concilium nostrum, quarto de celebratione Missarum.

CAPVT III.

Ex quibus partibus compleatur officium Missæ.

Missa constat quatuor partibus: prima post exordium confessionis, doctrinam habet ex sacra scriptura, epistolam & Euangelium: Secunda, consistit in consecratione cum gratiarum actione super pane facta & uino: Tertia habet præceptionem Sacramenti; Quarta orationem pro omnibus fidelibus. *a* In primitiua Ecclesia in principio Missæ Psalmi legebantur, uerum postea Psalmi in cantum sunt translatis; unde introitus Missæ, gradualia, offertoria, & communio, quæ cantantur, & fere sunt ex Psalmis sumta. *b* Missa proprie & substantialia Missæ, sunt in consecratione &

ne & confectione Sacramenti oblatis Eucharistiæ; reliqua autem, quæ sacerdos vel Chorus canunt, gratiarum actiones sunt; vel obsecrationes, & vel mysteria seu representationes, & commemorationes sanctissimæ Passionis, & eorum quæ in ea gesta sunt. Ideo adhibentur sacratæ vestes, *d* stola, manipulus, *e* Psalms introitus, gradualia, communio, quæ ex sacra pagina sumta sunt, *f* vt gloria Patri, Kyrie eleison, Pater noster, *g* Gloria in excelsis, Alleluia, *h* Pax vobis, *i* Dominus vobiscum, *k* orationes collectæ, *l* Amen, *m* epistola, *n* Euangelium, *o* offertorium, *p* oblatio vini & aquæ, quæ fit a sacerdote, *q* sursum corda, *r* præfatio, *s* fractio hostiæ in tres partes, quæ fit a Presbytero celebrante, *t* pacis datio ante communionem, *v* commendationes quæ fiunt pro viuus & defunctis, *x* benedictio post Missam *y*. & alia quæ sine mysterio non sunt. *z*.

SCHOLIA.

- a* De quibus vide in Antididagmate Coloniensis Ecclesie, cap. 31. & sequentibus.
b Ca. cantantes, §. ab officio, & ca. in Sancta, 92. distinct.
c Ca. utrū, de Consecratione distinctione 2.
d Ca. vestimenta, de Consecratione distinct. prima.
e Ca. Ecclesiastica, 23. distinct.
f Dicto cano. cantantes, §. ab officio, 92. distinctio.
g Ca. de Hymnis, de Consecrati. distinct. 2.
h Ca. cum aliquis, 11. quæst. 3.
i Dicto ca. de Hymnis, & ca. bs duo, de Consecratione distinctione prima: loco cuius Episcopus celebrans dicit, Pax vobis, can. non omnes, secunda, quæstione septima.
k Dicto ca. non omnes, secunda quæstione septima.
l Ca. hoc quoque, de Consecrati. distinctio. prima.
m Dicto canone de Hymnis, de consecratione distinct. 2.
n Ca. sedulo, 38. distinctio.

- A* *o* Ca. omnes fideles, de Consecratione distinctione prima.
p Ca. omnis Christianus, de Consecr. distinct. prima.
q Ca. in Sacramento, de Consecrati. distinct. secunda. Probantur, & verba illa, quod Eucharistia sit oblatio benedicta, adscripta, & rata, in ca. utrum, de Consecratione distinct. 2.
r Can. quando autem, de Consecrati. distinctio prima.
B *s* Ca. inuenimus, de Consecratione distinctione prima: ubi enumerantur decem species præfationum dicendarum in Missa, ratione diuersorum temporum. Additur & decima, in ca. fin. §. fin. 70. dist. Addunt, & nunc religiosi mendicantes ordinis sancti Francisci, propriam in eius festiuitate.
t ca. singuli, de consecratione distinctione secunda.
C *v* ca. pacem, de consecratione distinct. 2.
x ca. visum, & can. de nominibus, de consecratione distinct. 1.
y ca. Missas, de consecratione distinct. 2.
z Veluti dum panis tantum triticus azymus, vinum aqua mistum adicitur, quæ explicantur, in ca. cum Martha, de celebra. Missarum, & cum aliis in principio, secunde distinctionis per septem canones, & apud Cyprianum, libro secundo, Epistolar. epist. 2. Cæcilio fratri, & in capitulis Martini Greca Synodi Bacharensis, ca. 55. In Concilio Carthagenensi, 3. ca. 24. in Africano, cap. 4. in sexta Synodo, cap. 28. Iubetur, & plus vini quam aqua infundi in calicem, ca. pernitiosus, 13. de celebrat. Missa. & quod panis, in quo consecratur apud nos, debeat esse azymus sine fermento, in c. fin. de celebr. Missa. ubi id statuitur. Et est pena in eum, qui aliter fecerit, aut in vase ligneo consecrauerit, aut sine aqua & lumine, ut deponatur ab officio, & beneficio. Ibi tamen cauenda Glos. Hugonis, ad verbum, fermentato, dicens, quod si quis consecerit, de fermentato pane in Ecclesia Occidentali nihil ageret, cum Ecclesia

*Occidentalis in fermentato faciat: vide A
D. Thomam, 3. parte summa question. 74.
artic. 4. Quare vero miscetur aqua vi-
no, & in quid conuertatur aqua per conse-
crationem, vide cap. in quadam, 8. & can.
cum Martha, 6. §. quasi iusti, de Celebra.
Missa.*

CAPVT IIII.

*Persona sacrificio Missa celebrando
requisita.*

IN sacrificio hoc Missa celebrando, sal-
tem duæ personæ requiruntur præsen-
tes: *a* eius, qui consecrat, nempe sacerdo-
tis, *b* & illius, qui consecranti seu celebra-
nti adesse debet, vt respondeat; qui si haberi
potest, clericus saltem esse debet. *c* Nam
laici quando sacra mysteria celebrantur,
secus altare inter clericos stare vel sedere
non debent præsumere. *d* Prohibitum
quoque vt vlla femina ad altare præsumat
accedere, aut Presbytero ministrare, aut
intra cancellos stare aut sedere; *e* quamuis
sint Deo dicatæ & sanctimoniales: nam
nec illis licet sacra vasa tangere, vel sacras
pallas; vel incensum circa altaria deferre. *f*.

SCHOLI A.

a Non enim solus Presbyter Missarum sole-
lemnia, vel alia diuina officia: sine mini-
stri auxilio potest solus celebrare, *ca. pro-*
posuit, 6. §. fin. de Filiis Presbyter. lib. 1. tit.
17. Quare Ecclesia dedicari nõ debet, quin
saltem ex reditu possit Presbyterũ, & cleri-
cum nutrire. ca. nemo, de Consecr. dist. 1. ca.
illud, 7. qu. 2. 1. ca. in omnibus, 8. 1. dist. ca.
placuit, 1. q. 2. Aliquando ex decretis So-
teris Papa, ca. 8. decretum etiam fuit, ne
Presbyter celebrare præsumeret, nisi duo-
bus presentibus sibi, respondentibus: quia
cum pluraliter a Presbytero dicitur, Do-
minus vobiscum, inquit, vel, orate pro
me, duorum saltem debeat habere respon-
sionem. ca. hoc quoque, 6. 1. de Consecr. dist.
1. Burchard. lib. 3. Decretorum, ca. 74. &
68. 7. uo parte 2. ca. 127. Id ipsum statutum

in Concilio Nauetenfi, ca. 30. In Concilio
Moguntino, 1. ca. 43. Glossa tamen in di-
cto ca. hoc quoque, ait: hodie receptum ef-
se, vt cum vno possit sacerdos celebrare, si
populus non adsit; imo & ipsum solum sa-
cerdotem posse celebrare inclusum, si cleri-
ci copia non adsit, non aliter, sicut in c. qua-
suit, 14. de Verbor. signific. in necessitatis
causa, Presbyter solus potest infirmum un-
gere; extra necessitatem non vtiq, quod di-
ctum sit: Si quis vestrum infirmetur in-

B
ducatur Presbyteros, in plurali, in c. unico,
de Sacra vnctio. Quando enim in casu ne-
cessitatis Presbyter celebrat cum vno cleri-
co, vel solus, etsi in plurali loquatur, ta-
men Ecclesia supplet defectum eorum, qui
absunt. Et hoc olim obtinebant, que vide-
tur reformata in Concilio Basiliensi, & in
Pragmati. sanctione, titulo de his qui in
Missa non implent Credo, vbi tanquam
abusus corrigitur, & prohibetur, ne Missa
priuata dicatur sine ministro. Fuit etiam
antea opinio Hugonis ad dictum ca. hoc
quoque, improbens Glossam eius, que no-
tat Presbyterum dicere posse Missam sine
ministro, sicque & Hostiensis cum Hugo-
ne sentit, in tit. de Celebra. Missa. §. & qua-
liter, vers. nec solus, in summa. Ego autem
Glossa opinionem sustinerem in maxima
causa necessitatis, vt si captus esset sacer-
dos, vel inter Hereticos, vbi nullus esset
clericus vel Christianus, qui ei responde-
ret: vel si mulieres tantum adessent, nihilo-
minus tamen, si quis melius sentiat, non
contendo.

b *Ca. clericos, 3. 1. distinct. ca. 1. §. vna vero, de*
Summa Trinita. & fid. Cathol. ca. Presby-
ter, 3. 68. dist. ca. Daibertum, 1. q. 7. qui
enim sacerdos non est, non potest Missas
dicere. c. 12. de Clerico. non ordina. mini-
stran. libro quinto, titulo 29.

c *Cap. 3. de vita & honest. clerico. lib. 3. tit.*
Si quidem clericus inueniri possit: c. propo-
suit, de Filiis Presb. can. illud, 15. vbi &
ratio, 7. q. 1. Quod si nullus adsit clericus,
tunc cum celebrare decreuerit, poterit cum
laico;

- laico; vel, ut loquitur Ioannes Andreas, A cum seruitore. in *Glos. in Clement. ne in Agro Dominico*, §. ad hac, ad verbum, seruitutis, de *Statu Monach.* & c. *proposuit, de Filiis Presbyt.* Attamen laicus qui inuabit celebrantem, debet cauere ne sacra vasa, aut ornamenta, tangat, ut dicimus mox.
- d *Ca. 1. de vita & honesta. clerico.* Ut autem hac facilius intelligantur, obseruare oportet; laicos seorsum esse debere a clericis in Ecclesia, ut possint clerici liberius, & sine impedimento officia peragere; quod & in primitiua Ecclesia decretum fuisse testatur Clemens Roma. cuius verba in c. *sacerdotum*, 30. de *Consecra. distinct.* 2. Id ipsum, & in Synodo Eugeni, 2. & in Synodo Leonis, 4. c. 33. & in 7. lib. *capitulariorum* Caroli Magni, capitulari 278. & in 6. Synodo, c. 69. In Concilio Turonico, 2. c. 4. Ansel. libr. 5. c. 78. atque in capitulis Martini Concilii Bacharensis, c. 45. cuius verbū, in ca. 3. non liceat, 93. dist. scriptum est: non liceat in pulpito psallere aut legere, nisi qui ab episcopo lectores sint ordinati, ubi *Glossa* argumentum esse ait pro laicis, qui non cantant in pulpito, sed alibi in Ecclesia; & cum officiendo non possit populus dicere Amen, tamen non officiendo potest. in ca. *sedulo*, 12. iuncta *Glos. in verbum, Amen*, 38. dist. Refert & D ibi *Glossa* ad verbum, dicat, Presbyterum cum populo tantum, posse officiare; quam tamen sententiam videtur improbare. Prohibitum, & fuit in Concilio Agathensi, c. 66. & in c. 30. non oportet, 23. dist. non sacros ministros licentiam habere ingrediendi Sacrarū, quod Græci vocant *Diaconium*, aut contingendi vasa Dominica. Idem statutum, in c. in *Sancta*, 41. de *consecra. distinct.* 1. Accedere & ad sanctum altare laicis prohibuit Concilium in Trullo, c. 69. Prohibetur, & in c. *vestimenta*, 42. de *Consecr. dist.* 1. ne vestimenta Ecclesiastica & sacrata, quibus Domino ministratur, ab aliis contingantur aut feran-
- tur, quam a Sacratu hominibus, ne vltio qua Balthasarem regem percussit, Daniel. 5. eosdem percutiat. Et quo tempore etiam Monachi non erant clerici, prohibuit Synodus in Trullo, c. 33. Monachum, qui nō accepisset Characterem, ad altare accedere. similiter & Synodus Laodicensis, c. 15. & 21. & in Synodo Nicena. 2. c. 14. Quod intelligendum, si cum manus impositione non fuisset factus lector: ad altare autem, pro accendendis cereis vel luminibus, non prohiberetur sine ministerio accedere.
- e Sic statutum in Concilio Moguntinensi, & in c. 1. §. fin. de *Cohabitat. cleri.* & *mulier. lib.* 3. tit. 2. & ca. 1. de *vita & honesta. clericor.* Quia nec mulieres possunt ad vllum ordinem Ecclesiasticum vocari, nec ad ipsum quidem clericatum, ut ait Diuus Thomas in 4. sententia. *distinctio.* 25. q. 2. arti. 1. & 2. & statuitur apud Clementem lib. 8. *constitutio. Apostolicarum ca.* 3. virgo non ordinatur, mandatum enim Domini non habemus. Hincq, reprobatur & merito opinio Capharnaitarū, dicentū, mulieres ad sacros ordines Ecclesia promoueri vel ordinari posse. Reprobatur & eodem modo sententia *Glossa*, in c. 23. *Diaconissam*, 27. q. 1. dum ait: Monialem si ordinaretur, recipere Characterem. nā id iure reprobatur. quamquam admittatur, monialem posse benedici, & ordinari ad aliquod ministerium in Ecclesia, monialium causa, non autem ad ministerium altaris vel officii diuini. Prohibitum, & in canonibus Apostolicis apud Clementem Romanum, c. 6. & 9. mulieribus, ne in Ecclesia doceant, ne baptizent, aut loquantur: quod & prohibuit Diu. Paulus, 1. ad *Corinthios*, ca. 14. Ita etiam natura & decoro conueniens fuit; ne qui sacris intendunt, earum presentia transferentes animum a Dei seruitio in illas, concupiscentia illicita tangantur. Congruuit quod tradit Cyrillus Hierosolymitanus Patriarcha in *Procatachesi*: In Archa Noe (inquit) quæ erat vna, erant Noe & filii eius cum vxoribus,

hoc conclusam Ecclesiam significat, & A
nos omnes intus. Hæc tamen separen-
tur, ut sint cū viri viri & mulieres cum
mulieribus, ne studium salutis, sit perdi-
tionis. Nam ut Virgilius ait, 3. *Georgico-
rum*: Carpit enim vires paulatim, vritq;
videndo, Fœmina, & Propertius lib. 3.
Elegia.
Qui videt, is peccat, qui nō te viderit ergo
Non cupiet, fati crimina lumen habet.
Obiectum mouet potentiam. Viditamen B
aliquando in monialium quarundam cœ-
nobio, puellas ex more, & ipsas moniales sa-
cerdoti Missam agenti iuxta altare inser-
uire, & aquam aliamq; ei ministrare ne-
cessaria, in modum clerici: quem morem
potius dicere possumus corruptelam, & de-
linquendi occasionem, prætextu religionis,
saltem cogitandi malum; bonum quam-
uis castumve, & irreprehensibilem dede-
ris sacerdotem celebrantem; quamuis, & C
una dicas castissimam monialem sacerdoti
in altari seruientem: proximitas namque
illa sexus, maxime ex innato fomute, & in-
fidis diaboli, potest addere virus puritati.
Quod ita vere dixit quidam senex præpo-
situs suis Monachis, de sua castitate fiden-
tibus, & ideo consortium mulierum auer-
santibus, ut eiusdem nature & ab illis na-
ti. Filioli (inquit) sal ex aqua est, & si ap-
propinquauerit aquæ statim soluitur & D
deficit. Et Monachus simul ex muliere
est: itaque si appropinquet mulieri, sol-
uitur & ipse, ac in id desinit ut Mona-
chus non sit, ut refert Ioannes Moschus
in libro qui inscribitur præatum spirituale, c.
217. Docet & Basilus Magnus, sermone
de vera virginitate, congressum viri ad
mulierem latenter incitare concupiscen-
tiam corporum, & si anima imperet, &
ideo declinandum virginibus. Prohibitum E
& est in Concilio Romano sub Innocentio
3. cap. 27. ne Sanctimoniales una cum ca-
nonicis vel Monachis conueniant, in Ec-
clesia, in choro ad psallendum: relatum in
ca. perniciosam, 2. §. fin. q. 2. Ea que ratio-
ne prohibitum est, duplicia esse monaste-

ria, in quibus habitarent sub eodem tectō
vel monasterio Monachi, & Monasteria
seu moniales, in Nicena Synodo 2. cap. 20.
& in Nouella 123. de Sanctissimis Episco-
pis, ca. 36. §. in omnibus autem monasteri-
is, & in l. Græca. nunc inserta Codici Iu-
stiniano, in l. Sanctissimarum, 44. de E-
piscop. & cleric. C. & in Nouella, 133.
quomodo oporteat Episcopos viuere, c. 3.
seu §. non ingredientur. Imo prohibitum
est, ne ex veste alicuius mulieris fiat casu-
sula, vel alius ornatus Ecclesie. nam cum
improbiorum contactu pompaque secularis
luxuria polluuntur, ad officia sacri mini-
sterii videntur indigna, can. ad nuptia-
rum 43. iuncta Glossa, de Consec. dist. 1. ex
Concilio Aruernensi, c. 8. refert & Bure-
hard. lib. 3. Decretal. c. 108. Neque super-
rioribus repugnare videtur, quod aliquā-
do in utroque iure inueniantur fuisse in
Ecclesia Presbyteræ, & diaconissæ mulie-
res. ut de Presbyteris, in ca. 18. Presbyter
32. dist. de Diaconissis in Authentica Dia-
conissam, de Episcop. & cleric. in Nouella
123. de Sanctiss. Episcop. ca. 30. seu §.
Diaconissam, & alibi. nam ista nomina,
habent officia alia, quam accommodari
possint ordinationi Ecclesiastica, & mini-
sterio diuinorum. Quod sufficere admo-
nisset ex Concilio Laodicensi, in cap. 11.
vbi sic explicatur. Mulieres (inquit)
quæ apud Græcos Presbyteræ appel-
lantur, apud nos viduæ, seniores, vniui-
ræ & matricuriæ nominantur, in Eccle-
sia tanquam ordinatæ constitui non de-
bent. Videndus Balsamon ad eum locum.
Erant & Diaconissæ constitutæ in Eccle-
sia, ut curam gererent fœminarum in Ec-
clesia, ut ibi suo loco & honeste, vig. oportet
essent. ut de officio earum plene Clemens
Romanus, lib. 2. constituti. Apostolica c.
61. erant & illa alia quam moniales, certo
tamen numero Ecclesiis assignatæ, seruiti
causa seu officii, quæ si deliquissent, pena
nomine in monasterium denudebantur.
cap. 30. seu §. Diaconissam, Nouella 123.
de sanctiss. Episc.

f *Ca. 25. Sacratas, 23. dist. & apud Diuum A*
Clementem lib. 8. constitutio. Apostolica.
c. 34. Diaconissa non benedicit, sed nec ali-
quid ex his, quæ faciunt Presbyteri vel Dia-
coni, ipsa exercet; sed tantum in portis ob-
seruat introitum foeminarum, & dum mu-
lieres baptizantur ob honorem & pudici-
tiæ sexus cum Presbyteris mulieribus adest.

CAPVT V.

Missas qui non possunt dicere.

Missas celebrare nequeunt, in primis
 qui non sunt Presbyteri: *a* neque omnes
 qui sunt, semper dicere possunt, veluti
 peregrinus, aliunde veniens sine literis
 commendatitiis, quibus appareat eum esse
 Presbyterum, vel si aliunde non appareat
 Presbyterum esse: si tamen talis voluerit
 secreto non palam, ex deuotione celebra-
 re, poterit sustineri, *b* item Presbyteri de-
 positi, excommunicati, interditi, suspensi
 celebrare non debent: & si fecerint, pec-
 cant, & puniuntur, *c* veruntamen si depo-
 siti etiam & degradati celebrent & conse-
 crent contra prohibitionem, conficiunt
 Sacrosanctum Domini corpus & sangui-
 nem: *d* & Sacramenta per illos collata,
 quamquam illi grauissime ob indignita-
 tem suam peccent, tamen efficacia sunt.
e Id ipsum, & de publicis concubinariis
 rescriptum: quorum officia quandiu in
 Ecclesia tolerantur, non sunt contemnen-
 da, & condemnati nihilominus consecrât;
 sed quantum ad detestationem criminis
 notorii, non sine graui peccato consecrât.
f Non celebrat etiam Presbyter, cui duo
 digiti cum medietate palmæ manus, ab-
 scissi sunt; quia non secure, propter debili-
 tatem; nec sine scandalo, propter defor-
 mitatem membri, id facere potest. *g* Quæ-
 admodum & propter scandalum a cele-
 bratione remouetur, leprosus: *h* & pro-
 pter impuritatem, sacerdos qui concubu-
 erit cum muliere, donec se purgauerit; *i* vt
 & Hæreticus, *k* Simoniacus, *l* qui ieiunus
 non est, aut qui etiam aliquid mendicatum
 gustauerit. *m* Annotabimus autem, quod

A Presbyter, qui in mortali peccato seipsum
 esse constitutum, & tamen non potest
 propter aliquam necessitatem, solemniam
 Missarum intermittere, si propter sceleris
 sui conscientiam dubitet consecrare &
 non consecret, sed fingat se consecrare,
 grauius peccat, quam consecrando in-
 digne. *n*.

SCHOLIA.

- a** *Supra id dictum, & probatur ex c. 1. & 2.*
de Cleri. non ordinato ministran. ca. 1. &
fin. de Conse. dist. 1. cap. 1. §. vna vero, de
Summa Trinitate.
- b** *Ca. fraternitatis, 3. de Cleri. peregrin. lib.*
1. titu. 22.
- c** *In ca. 1. & quinque sequentibus, & penul.*
de Cleric. excommunic. ministran. lib. 5.
titu. 28.
- d** *Gloss. 1. inc. 2. de Cleri. excommun. mini-*
stran. quia per depositionem, vel degrada-
tionem, ordinem non admittunt; sed probi-
bita videtur illis in perpetuum ordinis ex-
secutio. c. eos qui. 20. q. 3. ca. quod quidam,
1. q. 1. c. ostenditur, de Consec. dist. 4. c. lici-
te, 22. q. 7. Et sic etiam Sacrosanctum cor-
pus sacerdos depositus conficit, vt Hæreti-
cus, si in forma & intentione consecrandi
quæ est in Ecclesia, consecrat. dist. c. quod
quidam, & can. neque, 1. q. 1. nec potest et-
iam Papa post Characterem impressum,
ordinis auferre virtutem. Quæ sententia
verior habetur, reiecta contraria, quam
& omnes Theologi approbant lib. 4. sen-
tentiarum distinet. 13. D. Thomas, 3. par-
te quest. 82. articulo 8.
- e** *Ca. fin. 15. quest. fina. ca. fin. & ibi viden-*
da Glossa de Clerico excommun. ministran.
- f** *Vide ca. vestris, 7. & ca. fin. de Cohabitat.*
Cleric. & mulier. lib. 3. titu. 2. Concilium
Lateranens. sub Alexand. 3. parte 50. cap.
38. can. nullus, ean. prater hæc, 32. distin.
& quæ de his tradit Nauarrus in Manua-
li confessoriorum, c. 25. facit, ca. fin. de
temporib. ordinatio. lib. 1. tit. 11. Vt autem
post lapsum sacerdotes, vide totam 50. di-
stinctionem.

- g Cap. 2. de Clerico agrot. lib. tertio titulo 6. A
 h Cap. 3. & 4. eodem titulo, de Clerico agro.
 i Nam eo tempore quo quis dormiuit cum muliere, etiam cum uxore legitima, debet abstinere a sumptione Sacrosancti Domini corporis, per septem prima capita, 31. quest. 4. Id ipsum decretum ob pollutionem nocturnam, ex consensu animi, & culpa accidentem, tota sexta distinctione.
 k Vide de istis Hereticis & Simoniacis & Schismaticis in dict. c. tractantibus sacra B
 mysteria, & de efficacia eorum, in ca. fertur, cum pluribus sequentibus, 1. questione 1. ubi distinctiones adhibentur.
 l Ca. tanta, 7. §. item omnis, ca. quoties, §. de Simonia.
 m Ca. nihil, 16. vers. nullus, 7. quest. 1. ca. liquido, §. 4. de Consecrat. dist. 2. cap. si confiterit, 12. de Accusatio. sicq. nec aquam consecraturus, calidam potest ante sumere. c. ex parte, de Celebra. Missar. facit, ca. Sacramenta, cum sequentibus. & c. tribus, de Consecratione distinctione 2. Notanda autem Glossa in dicto ca. Sacramenta, dum ait, textum abrogatū in eo, quod permittebat in cœna Domini, & c. Neque etiam medicina causa quippiam præsumere licet, neque rursus, qui duas Missas dicitur est ex permissione, post sumptionem corporis & sanguinis in prima debet bibere vinum, quod super infunditur eius digitis post receptionem: quia inde solueretur ieiunium, quod tamen non soluitur per sumptionem sanguinis, & corporis Domini; ita soluto ieiunio non potest secundam Missam celebrare, & in ea communicare. ca. ex parte, §. de Celebr. Missa. ubi tamen notat Glossa final. approbata, contra errorem Hugonis, quod si sacerdos post cibum vel potum acceptum conficeret vel consecraret, male faceret: nihilominus tamen, quod vere consecret. in xta ca. liquido, de Consecratione distinctione 2.
 n Ca. de Homine, 7. & ibi ratio, de Celebra. Missa. vide Diuum Thomam par-
- te, 3. quest. 7. artic. tertio, & quest. 80. articulo 5.

CAPVT VI.

- 1 Quadam obseruanda in Missa in preparatione.
- 2 In loco.
- 3 In vasis, Calicibus, & linteis.
- 4 In tempore celebrandi.
- 5 Et quoties.
- 6 Gratis dicantur.
- 7 Missæ, Episcopi Missa.
- 8 Audienda in Parochia.
- 9 Ex integro.

Missam dicitur, quia Sacrosancti Domini corpus, & sanguinem consecraturus & sumpturus est, a prius debet peccata sua confiteri: b & animam ab iis purgare, & se præparare. c Nō debet ad altare velato capite, aut cum baculo venire. d In dicendo debet ordinem Ecclesiæ Metropolitanæ seruare, e adhibito igne, & aqua, f & in locis tantum ab Episcopo consecratis, vel in aliis ex eius permissione, excepta causa necessitatis celebrare, g vel in altari viatico seu portatili, h nec in oratorii priuatis. i Episcopus etiam non dicit Missam in monasterio sibi non subiecto sine fratrum consensu. k Neq. sacerdos simplex Missam faciet in eo altari, in quo Episcopus eo die fecit, l neque vllus sacerdos in eo loco, in quo paganus sepultus sit: m non in Ecclesia polluta ante eius reconciliationem: n non in locis interdictis, o non super monumenta mortuorum. p. Sed neque Presbyteri consecrare debent sanguinem Domini in ligneis, q vasculis seu calicibus, & patinis, aut in vitreis, aut cereis, aut auricalchi; sed in aureis, argenteis aut stanneis, r non consecrabunt item super sericeo panno aut tincto, sed super lineo ab Episcopo consecrato. s.

Celebrabitur, & Missa in prima parte diei, t excepta vigilia Natalis Domini, in qua & nocte Missæ celebrantur. v.

Sufficit

Sufficit autem sacerdoti, si vnam in die A dicat: quidam tamen pro defunctis vnam, aliam de die dicunt: x & in festo Natalis Domini tres: y & propter penuriam seu defectum Presbyterorum duas in duabus Ecclesiis, & interdum & duas in Ecclesia vna, propter rationabilem aliam necessitatem. aa

6 Missæ gratis † dici debent, bb in Missa Dominicali Parochiæ denuntiandæ festiuitates hebdomadæ, inter solemnia vide- B licet Missarum. cc

7 Episcopus dum Missam agit † in solemnioribus diebus, septem aut quinque, aut tres Diaconos adstantes habere debet. dd

8 Oratur ibi † pro viuus & defunctis, ee Dominicis & festiuis diebus saltem, quilibet debet Missas audire in propria Parochia, alioquin si contemnens in alia inueniatur, ex contemptu propriæ, reici potest. ff

9 Missam autem † secularibus etiam audire ex integro præcipitur, donec finita sit, gg benedictio fuerit data; hh excommunicati tamen, & interdicti, ad diuina officia non sunt admittendi. ii

S C H O L I A.

a Toties enim sacerdos corpus domini sumere debet, quoties immolat & consecrat, et si bis D vltex ex necessitate, vel alio modo permisso, Missas dicat, toties debet corpus Domini consecrare & sumere, ca. relatum est nobis, 1. de consecrat. distinct. 2. Ex concilio Toletano 12. cap. 1. nec debet corpus sine sanguine sumere: ca. comperimus 12. de consecrat. dist. 2.

b ca. quotidie 13. de consecrat. dist. 2. Quare reprehendendum, quod alicubi hanc salutem E formam omittunt, si possint habere confessorem, viderint autem num de iustitia sua nimium sidentes, incidant in præsumptione Pharisæicam: cum vel septies in die possit peccare iustus.

c Iuxta Diuum Paulum 1. ad Corinth. 11.

Probet se ipsum homo, & sic de pane hoc edat, &c.

d ca. nullus episcopus 50. de consecrat. distin. 2. vbi errari. Et Glo. notat ad verba, cum baculo, ideo neminem promouendum esse ad presbyterarum, qui sine baculo non possit sustentare in altari, vt & dictum in can. si quis ex infirmitate 55. distinct. Et rursum glossa ad dictum ca. nullus, ad verbum, præsumat, Episcopum, dum predicat nihilominus habere debere Mytram & baculū, quod tunc alleget causam Dei tanquam pastor. argum. canonis disciplina 45. distin.

e ca. Institutio 31. de consecrat. distin. 2. ca. penult. & si. dist. 12.

f cap. fin. de celebratio. Missar.

g c. 1. in prin. & si enim. ca. sicut non alii, & can. Missarum 12. can. hic eorum 14. & can. nullus presbyter, de consecratione distinct. 2.

h Licet enim, & pro Ecclesia consecrata habetur, vbi illud portatile ponitur ad illum effectum celebrandi in necessitate missam, in ca. fin. de Priuileg. in Sex.

i Non licet celebrare in oratoriis priuatis, maxime non consecratis, & nisi ex necessitate, vel ex dispensatione Episcopi in sua diocesi, & cum distinctione, can. si quis etiam de consecratione distinctione prima, ca. sicut non alii, eodem, de consecratione distinctione prim. cum similibus. Iure ciuili oratoria etiam priuata permittuntur, verum ἱερά μυστήρια, sacra mysteria agere non permittitur, Nouella 58. vt in priuatis domibus sacra mysteria non fiant, & in ca. si quis, in sua domo. ca. 8. Nouella 131. de Ecclesiasticis titulis, sancitur cum pœna, nequis in proastis, vel domibus, vel fundis, vel priuatis locis, sacra mysteria facere. ἱερά μυστήρια ἐν δὲ οἰκίαις. peragant. Atque etiam olim cum, qui sine consensu Episcopi, in priuata domo vel passione sacrificasset, canones notabant: vt παρασπιδωρῶν, vt notat Balsamon, ad ca. 31. Synodi sexta in Trullo. Posteatamen Leo Impera-

- ter in *Novella quarta*, ut non modo vniuersalis Ecclesiæ sacerdotes, &c. permittit sacerdotibus in priuatis domibus, *in q̄d̄ xaj̄ μωσaj̄ ωρj̄ ᾱν̄*, sacrificare, & sacerdotii que sint exercere.
- k ca. *Abbas in monasterio*, secundo, can. luminoso, sexto, & penult. 18. quæstione secunda. quemadmodum in Ecclesiis constructis ab exentis in locis nō exentis non potest celebrari sine consensu & licentia Episcopi, capit. auctoritate, de Priuilegiis in Sexto.
- l capit. final. de consecratione distinctione secunda.
- m Dicto capit. fin. de consecratione distinctione. 2.
- n can. 16. qui 18. de Sententia excommunicationis in Sexto.
- o Clement. prima, de sentent. excommunicationis, dict. cap. is qui, vers. his vero.
- p cap. non oportet 29. de consecratio. distinctione. 2.
- q Probationes & rationes, in ca. vasa 44. de consecrat. dist. 2. ex Concilio Tributensi. ca. 18. c. fin. de celeb. Miss.
- r ca. ut Calix 45. de consecrat. distinct. 2. ex Concilio Rhemenfi, capit. sexto, & ibi rationes.
- s ca. consulto 45. de consecrat. distinct. 2. & ibi ratio, vocant hunc pannum corporalis.
- t ca. necesse est, 51. de consecrat. dist. 1. prima pars & potior est sex primarum horarum vsque ad meridiem, l. more Romano octaua, de Feriis in Pandectis. Publica missarum solemnia, hora tertia, hoc est nona ante meridiem nostro more, fieri debent, can. & hora tendendum, de consecratione distinct. 1.
- v ca. nocte Sancta, 48. de consecrat. distinct. 1. ubi ratio.
- x can. sufficit, 53. de consecratione distinctione. 3.
- y ca. consulisti 3. ca. ex parte 5. & ca. referente 12. de celo. Miss. & dict. cap. nocte sancta, de consec. dist. 1.
- z Dicto cap. consulisti, ibi: Nisi causa necessitatis. debet autem in singulis Dominicum corpus Sacrosanctum sumere, cap. relatum 11. de consec. dist. 2.
- aa Gloss. in dict. cap. consulisti.
- bb Qui ea pactione & intentione Missam tantum dicit, ut aliquid temporale accipiat: simoniam committit eius existens intentionis, ut pretio vendat, quia aliquid reciperet pro spiritualibus, ea intentione Simonia est, ca. indices. 1. quæst. 1. cum similibus. Nihilominus tamē verum est, Presbyterum posse sine Simonia pro Missis celebrandis, & aliis spiritualibus, aliquid licite recipere, nō quidem pro spiritualibus, que estimari nequeunt, sed pro labore, & seruitio impenso, & si non sit ex officio obligatus, ut Curio, qui pro officio tenetur Parochianis gratis ob decimas Missas statas dicere, c. vendentes. 1. quæ. 3. maxime si qui accipit ob Missas, non habeat, unde viuere possit: cum nemo teneatur laborare suis stipendiis, & ex altari viuere debeat, cui inseruit, ca. cum secundum, cum similibus, ibi notatis, de Preb.
- cc In princip. de consecratione distinctione tertia.
- dd ca. Episcopus Deo 59. & seq. de consecra. distinct. 1.
- ee ca. vsus preterea 72. de consecratio. distinct. 1.
- ff capit. 2. de Paroch. & Parochia. libr. 3. titul. 9.
- gg cap. Missas 64. de consecratione distinctione 1.
- hh ca. omnes fideles 62. & cap. cum ad celebrandas 65. de consec. dist. 1. ex Concilio Aurelianensi. 1. c. 28.
- ii c. in Lateranensi 31. vers. nec excommunicatos, de preb. ca. cum & plantaret 3. excommunicatos, de Priuileg. c. is qui 18. de sentent. excommun. in Sexto. & in constitutio. Apostolicis. D. Clemens. libr. 2. ca. 6. & lib. 8. cap. 15. Caterum, aliquando in Concilio Carthagenensi 4. c. 84. & in cap. Episcopus nullum 67. de consec. dist. 1. fuit ita cautum. Episcopus nullum prohibeat

hibeat ingredi Ecclesiã, & audire verbum Dei, siue gentile, siue Hæreticum, siue Iudæum, vsque ad Missam Catechumenorum. Quod fuit antiquarum maxime dum de sacris mysteriis peragendis tempus adest. Eaque ratione, & priscis temporibus, vt in templo Iudaorum, erant ianitores, sic in Ecclesia ostiarii constituti, qui fideles admittant, infideles autem, & excommunicatos reiciant. ca. clericos, in fine. 21. dist. ca. per lectis 25. dist. Quare, & in c. eos quos 118. de consecra. dist. 4. Felix Papa 3. vt etiam habetur in eius epistol. 1. ca. 2. statuit Presbyteros, Diaconos vel Episcopos, sponte vel coacte ab hæreticis rebaptizatos, omnino interesse non debere orationi fidelium, vel Catechumenorum, etiam si respiciant: quamuis Glossa, ad di. ca. Episcopus nullum, addat exceptionem, nisi esset aliqua spes conuersionis infidelium, tuncque putat admittendos, per ca. Iudæi, de consecr. dist. 4. Exstat singularis constitutio Clementis 5. in Concilio Viennensi, lata in Clem. 2. de senten. excommun. contra dominos temporales, qui terris eorum Ecclesiastico supposito interdicto, in capellis suis, & aliis insignium locorum Ecclesiis, Missas & alia diuina officia faciunt solemniter & publice celebrari, ad officia celebranda nunc hos, nunc illos vocantes, & his non contenti excessibus, non solum per campanarum pulsationem, sed voce præconia etiam populos interdictos, vt interdicti non obstante sententia, veniant, ad audiendas Missas huiusmodi, vocant, & impediunt, ne de Ecclesia excommunicati tempore Missarum expellantur. Atque ideo ibidem excommunicationis sententia in eos constituitur, a qua non possint ab alio, quam summo Pontifice absolui, colliguntur, que ex illo contextu, iuncta Glossa, ad verbum, inexplata, debere Presbyterum Missam celebrantem eam incompletam relinquere, si noluerit exire excommunicatus, qui tunc aderit, nisi iam incepisset dicere canonem Missæ. Quod tamen de publice,

Et nominatim excommunicato, intelligendum est. Occultum enim excommunicatum, non vitamus in publico. cap. 2. sub. 6. quest. 2. c. cum non ab homine, de senten. excommun. de quo & plene Felinus ad c. Rodolphus. num. 39. de rescript.

CAPVT VII.

De quibusdam effectibus Missæ.

Cum iam dictum sit † in titulo de Eucharistia, a de vi & efficacia istius Sacramenti Missæ, non vtemur repetitione: addemus tantum, quod quando sacrificium altaris, aut elemosinæ, pro baptizatis omnibus offeruntur, sunt pro valde bonis gratiarum actiones: pro non valde malis propitiationes, pro valde malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, tamen viuorum consolationes sunt. Quibus autem profunt, aut ad hoc profunt, vt sit plena remissio, aut certe, vt tolerabilior sit ipsa damnatio, b finis semper istius Sacramenti, salus est animarum. Quocirca Concilium Toletanum, exilii erga stulo plectit eos, qui interno liuore permoti ad perniciem suorum inimicorum, altaria sacris vestibus exuunt, aut veste lugubri accingunt, vel consueta luminariorum obsequia Ecclesiis subtrahunt, vel Missam pro requie defunctorum promulgatam, pro viuis celebrant hominibus, non ob aliud, quam vt ii, pro quibus ipsi offerunt sacrificium, ipsius Sacrosancti libaminis interuentu, mortis incurrant periculum. c

SCHOLI A.

- a *Supra hoc libro tit. c. 9.*
 b *ca. tempus 23. §. cum sacrificia 13. quest. 2. ex dno Augustino in Enchirid. capit. 109. & 110. vide sanctum Thomam in 4. sententiarum, dist. 45. q. 2. artic. 2.*
 c *In Concilio Toletano 13. cap. 7. & in Concilio Toletano 17. capit. 51. & in cano. Episcopi 12. §. final. & capit. quicumque 13. 36. quest. 5.*